







Q. D. B. V. 57

DE

# DEO BELLATORE

AD

EXOD. XV. 3.  
COMMENTATIO,

QVAM

ORATIONI PVBLICAE

DE BELLO A LITERARVM  
STVDIOSO ADVERSVS IGNO-  
RANTIAM GERENDO

D. XIV. OCTOB. A. MDCCXXXIV. HLQC HAB.

PRAEMISIT

IO. HENR. A SEELEN,  
SS. TH. LIC. ET GYMN. LVB. RECT.

---

LVBECAE.

TYPIS IO. NIC. GREENII, MAGN. SEN. TYPOGR.



## §. I.

Quam absona est Quackerorum, aliorumque Fanaticorum, vt & non paucorum, qui ad infaustam FAVSTI SOCINI prolem pertinent, de Bello a Christianis plane non gerendo, opinio, falsitatis dudum a praestantissimis Theologis nostris (1) convicta; tam notatu dignum, quod DEVS ipse eo, quo illum decet, modo *Bellator* honoris causa appelletur. Sic enim, vna cum Israelitis, canit MOSES (2): יהוה איש מלחמה יהוה שמו. *Iehovah vir belli, Iehovah nomen eius.* Quae verba reperiuntur in Cantico eucharistico, quo, devictis suffocatisque Aegyptiis & exercitu PHARAONIS in mare proiecto, liberatis vero & servatis Israelitis, DEVS fuit solemniter celebratus. Siftunt autem *DEVM BELLATOREM*, quae nominatio tam emphatica est, vt varia meditando nobis dederit occasionem, e quibus potiora seligemus.

## §. II.

Repetitum nomen יהוה *Iehovah* perspicue indicat, quod Cantantes vero DEO liberationem suam vnice in acceptis referant, & ab eo solo derivent. Idecirco vti plus vice simplici in antecedentibus nominant Iehovam, hocque deinceps saepius faciunt, ita in nostro commate bis etiam idem nomen exprimunt, probe gnari, infinitae eius potentiae cuncta, quae ipsis obtigerant salutaria, esse adscribenda. Hunc vero Iehovam איש מלחמה, *virum belli*, nuncupant. Quam appellationem praeter rem suffigillat IO. CLERICVS (3) hac ratione: איש מלחמה, hoc est, *vir belli*; non possunt aliter Hebraei *bellatorem* dicere, ideoque phrasin, quamquam dure, etiam vbi de Numine sermo est, adhibent. Concoquere tamen hoc non potuit Criticus Samarita, qui habet hic במלחמה גבור. *potens in bello.* Simili de causa ei LXX συνείβων πλέμους, *conterens bella*, ne forte Ethnici, qui eam versionem legerent, existimarent, Hebraeos non aliter *Deum exercituum*, vt eum vocabant, sibi effinxisse animo, ac vulgo Poetae *MARTEM* describunt, seu instar hominis strenui & armati. Quibus in verbis varia occurrunt incongrue dicta. Vnde enim cognovit CLERICVS, quod Hebraei non potuissent aliter dicere *bellatorem*, si ipsis placuisset? Saltem non *איש מלחמה*, sed etiam מלחמה

(1) ABRAH. CALOVIO Opp. Anti-Socinian. T. I. P. II. p. 310 sqq. IO. ADAM. SCHERZERO Colleg. Anti-Socin. Disp. CXXXI. p. 1060 sqq. SAM. SCHELGVIGIO Wigandian. p. 122 sq. Quakerism. Confut. P. II. p. 530 sqq. vbi nostrum distum primo loco contra Quakeros assertur, sicque inde concluditur; *Dominus legitur esse vir belli, sive bellator. At Dominum imitari licet.*

(2) Exod. XV. 3.

(3) Commentar. in Exod. p. 74.



מלחמה (4), *potentem bello*, Iehovam nominant. Deinde fingitur hic durities, siquidem adsunt vocabula emphatica, quae dura nequitiam pronuntianda. Pertinent haec ad *singularem*, vt rectissime vocat summe rev. CARPZOVIVS (5) noster, *ac inimitabilem verborum maiestatem in MOSE*, qui vt nunquam alias, ita hoc etiam loco non dure, sed emphatice, est locutus. Cui emphasi etsi nihil detraxerit Samaritanus, non tamen, allata alia dictione Biblica & praefixo ב, eandem adauxit. Neque a CLERICO laudati LXX Interpretes acu rem videntur tetigisse. Etsi enim IEHOVAH recte etiam dicatur *bella conterere*, quando bellandi potestatem adimit; ipse tamen etiam gerit bellum, & hostes debellat, ideoque potissimum מלחמה שׂאן appellatur. Vanus quoque est metus, eidem Ethnicorum causa subortus. Aut enim hi debuerunt fateri, quod ipsorum MARS tantum sit homo, quem tamen pro Deo habuerunt; aut agnoscere genium linguae sanctae, in qua שׂאן, *Vir*, non raro est nomen honorificum, ei impositum, qui virum se praestat, i. e. fortiter ac strenue res suas agere consuevit. *Virum dici*, ait PAUL. FAGIVS (6), *Hebraeis fere laudi tribuitur, pro eo, quod est insignem ac praeclarum esse*. Egregie hoc in aurea Versione sua observavit LUTHERVS, dum translulit: *Der Herr ist der rechte Kriegsmann*, i. e. principatum obtinet inter cunctos bellatores, & reliquis omnibus, qui militiam exercent, est praefendus. Quam emphasin in voce שׂאן latentem neglexit IO. SAVBERTVS, qui in Fragmento novae Versionis Germanicae reddidit: *Der Herr ist ein Kriegsmann*, adeoque adhibuit tantum verba, quae de quovis bellatore possunt vsurpari, minime vero bellatorem divinum ab humano fati distinguunt.

## S. III.

Atque hic divinus Bellator summo iure hoc nomen meretur, quoniam cunctae boni bellatoris *qualitates* in eodem reperuntur, e quibus tres praecipuas nominasse sufficet. A bono autem bellatore requiritur primo *Prudentia*, cuius ope totum negotium bellicum sapienter gubernetur, riteque administratur. *Praecipua*, inquit VEGETIVS (7), *res & utilitas Ducis est, vt adhibitis ex universo exercitu scientibus belli, & sapientibus viris, de suis & hostium copiis sapienter tractet*. — *Dux prudens, tanquam de civili causa inter partes iudicaturus, adhibito consilio, de suis & adversarii copiis iudicet*. Bellator noster divinus, per quem sive cum SEB. CASTALIONE intelligatur Filius Dei, de quo accipienda verba a SA-

A 2

LOMO.

(4) Psalm. XXIV. 8. (5) Crit. Sac. V. T. p. 202. (6) Apud POLVM in Synopf. ad h. l. (7) Lib. III de Re Militar. cap. 9. Conf. quae ad loc. cit. GOD. STEWECHIVS p. 12. 183 annotavit.



LOMONE literis consignata (8); אבני חכמה שכנתה ערמה ורעה; מוסרת אמצא. i. c. SEB. SCHMIDIO interprete: *Ego Sapientia habito (cum) prudentia: & scientiam (cum) solertis invenio; sive tota sacrosancta Trinitas, est ipsa Sapientia, ideoque non indiget aliorum consiliis, sed ipse potest cuncta instituire, institutaque diiudicare sapientissime. Bonum bellatorem oportet porro conspicuum esse Fortitudinis, qua destitutus, veri bellatoris nomine indignus merito censetur. Hanc in Romanis Militibus aequae ac Ducibus IVST. LIPSIVS vehementer collaudavit, de Fortitudine Romanorum militari prolixè commentatus (9). Sed perexigua est, imò nulla, si cum Fortitudine, qua divinus Bellator eminet, comparetur. Hic est אביר, vir, est אביר, fortis, est עז (10), fortitudo ipsa. Hic est bellator, de quo sanctus legatus, PAVLVS, ἐνδυναμοῦσθε, scribit (11); ἐν Κυρίῳ, καὶ ἐν τῷ ἰσχυρῷ τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, i. e. confortamini in Domino, & in robore virtutis eius. Quis proinde illo fortior? Sane nemo. Omnes enim, eos etiam, qui summa fortitudinis laude inclauserunt, longissime superat. Bonus etiam bellator gaudere debet Potentia, quo militum copia largiter sit instructus, & vires ei suppetant, quas bellum ex voto gerendum postulat, quaeve impediunt, quo minus reputetur imbellis. Divinus bellator est יְהוָה צְבָאוֹת, Dominus exercituum, qui cuncti ipsius nutu ac imperio praeliantur; est Κύριος ὁ θεὸς ὁ παντοκράτωρ (12), Dominus Deus omnipotens, cuius potentiae nemo potest resistere, ipse vero, quicquid vult, potest efficere. Bene SAL. GLASSIVS *Bellator*, inquit (13), dicitur ab omnipotentiae suae opere, in Pharaonis & Aegyptiorum exercitu disturbato & aquis suffocato. Praeterea in bellis inter homines gestis, summus ipse est Imperator, bellis praesidens, & victoriam concedens, quibus vult, fundens fugansque, quos vult. Ipsiis scilicet potentia est absoluta, infinita & nullis plane limitibus circumscripta.*

#### §. IV.

Bellatoris nomine DEVS elegantissime etiam insignitur ob facta, cum bellicis venientia. Haec sunt: Aciem instruere, armaturam subministrare, castra ponere, hostem aggredi & repellere, vindictam ab eo sumere, homines tueri & liberare, victoriam reportare, pacem tandem conciliare. His operam navare debet, qui militiae nomen dedit. Eadem divinus Bellator exercet. Instruit hic Δεσποτης (14), hic supremus Dux, aciem, dum milites sanctiores, Ecclesiae in hac terra militantis membra, beneficio Verbi & Sacramentorum, adhibita ministrorum sacrorum opera, conferibit ac colligit, illisque praeficit Viros, qui sacram militiam dirigant,

(8) Prov. VIII. 12.

(9) Lib. IV de Magnitud. Roman. c. 4. p. m. 211 sqq.

(10) Ex. XV. 2.

(11) Eph. VI. 10.

(12) Apoc. IV. 8.

(13) Philol. Sac. L. V. Tr. I. c. 7. col. 1586.

(14) Luc. II. 29.



dirigant, & ipsi fortiter militando exercitui sanctiori praebeant exempla, e quibus capi queant documenta, haud dissimiles TIMOTHEO, quem moniti Paulini (15): *Κακοπέδησον, ὡς καλὸς στρατῶτης Ἰησοῦ Χριστοῦ*, *perfer mala, velut bonus miles Iesu Christi*, mensuram exacte implevisse, munia religiose ab ipso gesta demonstrant. Quemadmodum vero bonus Dux, instructa acie, concordiam inter milites studet conservare, quo coniunctis animis & viribus pugnent, comparandus certo respectu cum P. LIPIO, Praetore, de quo in Nummo auspiciis M. AVR. COMMODI cuso (16): *ΕΠΙ. ΤΡ. Π. ΛΙΠΙΟΥ. ΚΟΙΝΟΝ. ΟΜΟ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΚΑΙ. ΕΦΕΣΙΩΝ*. *Sub Stratego P. Lipio Communitas, Concordia Pergamenorum & Ephesorum*; ita sub divino Stratego student milites sanctiores *τηρεῖν τὴν ἐνότητά τῶ πνεύματι ἐν τῷ συνδέσμῳ τῆς εἰρήνης* (17), *servare unitatem Spiritus per vinculum pacis*. Idem sanctissimus Bellator suis porrigit arma, quae Romanorum (18), aliarumque gentium, Scutis, Clypeis, Gladiis, Pilis, Galeis, Loricis, Hastis, Sagittis, Testudinibus, Arietibus, Musculis, Catapultis, & armis ac instrumentis machinisque bellicis reliquis, multo sunt & firmiora & praestantiora. Armat enim eos *πανοπλίᾳ* (19), quae Thoracem iustitiae, Scutum fidei, Galeam salutis, Gladium spiritus, & cuncta habet arma, quibus sanctior miles rite ac salutariter bellaturus indiget. Castra etiam, quae ponit divinus Imperator, omnino sunt praefenda castris veterum (20) pariter ac recentiorum, quae humana tantum industria locantur. De quibus castris certiores nos reddit Vates Regius, DAVID, his verbis (21): *הָנָה מִלֵּאן־יְרוּחַ כְּבוֹב לִירֵאָיו*; *castra metans Angelus Iehovah circa timentes ipsum, & liberat eos*. Vbi per Angelum intelligendum esse non creatum, sed increatum, ipsum DEI Filium, varia in contextu occurrentia docent, e quibus vrgeo tantum argumentum, quod adducta verba suppeditant. In his enim dum Liberatoris fit mentio, hic autem non est, nisi verus DEVS, recte etiam, quod de eo hic sermo fit, concludetur. Addo promissionem, a DEO ipso factam (22): *וְהָנִיתִי לְבֵרְתִי מִצְבָּה*, *& castra ponam domui meae de exercitu*. Humani bellatores hostem, quem aggrediuntur, non semper repellunt, ipsi potius nonnunquam repelluntur. Divinus Bellator semper repellit hostes, semper profligat, semper fugat, semper cladem iis infert, semper eos labefactat adeo, vt pereant, penitusque evertantur. Testa-

A 3

tur

- (15) 2. Tim. II. 3. (16) Vid. IOSEPH. MONTERCHII Rarior, maximi moduli Numismat, p. 38 sqq. (17) Ephes. IV. 3. (18) Conf. LIPSIVS de Militia Romana L. III, p. m. 106 sqq. STEWECHIVS l. c. pag. 244 sqq.  
 (19) Eph. VI. 11, 13, 16, 17. (20) Leg. GVIL, du CHOVL Traict. de Castrametatione ac Disciplina Militari Veterum Romanorum. (21) Psalm, XXXII, 8.  
 (22) Zach. IX. 8.



tur hoc exercitus Aegyptiacus, quem deletam (23) MOSI atque Israëlitis Iehovam Bellatorem canendi dedisse occasionem, supra iam observavimus: testatur magnus draco, vna cum malignis commilitonibus deiectus (24): testatur cohors armata (25), non, quod putat novus quidam interpres (26), sponte humi procumbens, sed a Salvatore patiente prostrata: testantur alii a divino Bellatore repulsi, quorum passim sacer codex meminit. Is quoque rectius vocatur *Vindex*, quam gentes MARTEM dicebant *Vitorem*. Docent hoc varii antiqui nummi, a CHOVLIO (27) producti, in quibus *MARS VLTOR* legitur. Sed vti fictum est hoc Numen, ita fictus etiam hic Vltor, & solus divinus Bellator de se dicere potest: *Ἐμοὶ ἐκδίκησις* (28), *mea est vindicta*. Quam severe autem in impios, militiam ipsius turpiter deserentes, animadvertit; tam fortiter tuetur & ab adversariis liberat omnes, qui castra eius sequuntur, ipsiusque auspiciis pugnaturi, spe ac fiducia pleni, hoc vtuntur symbolo (29): כּשֶׁם-אַלְהֵינוּ בְּרַגְלֵנוּ, *in nomine DEI nostri vexilla tollemus*. Horum ille est, non vanus & imaginarius, qualem in MARTE (30) suo habebant superstitiosae gentes, sed verus *Propugnator*, verus *Conservator*, illiusque Nomen est arx, est turris munitissima, quo se recipiunt, ibidemque exaltantur, aut defenduntur. Nam (31) מִגְדָּלֵנוּ שֶׁנֶּשְׂבָּה בְּיָדֵינוּ כִּרְחוּץ צָרֵק וְנִשְׁבָּה, *Turris roboris* (32) *nomen Iehovae: in illam decurrit iustus, & exaltabitur* (33). Quantum Bellator noster est Defensor, tantus etiam maximo iure *Victor* celebratur. Huic non opus est more antiquo acclamare: NIKA, VINCE (34). Ipse enim, pro infinita sua potentia, nullo negotio omnes hostes vno ictu potest prostrernere & vno momento debellare. De hoc Victore IOANNES (35) scribit: Ἰδὲ, ἐνίκησεν ὁ λέων, ὁ ὢν ἐκ τῆς φυλῆς Ἰούδα, ἣ ριζὴ Δαβὶδ, *Ecce, vicit Leo, qui est ex tribu Iudae, radix Davi-*

- (23) Exod. XIV. 28. (24) Apoc. XII. 9. (25) Io. XVIII. 3. 6.  
 (26) Vid. quae contra eum solide disputat celeberr. IO. CHRISTOPH. WOLFFIUS Cur. Vol. I. p. 960 sqq. (27) De Relig. Veter. Romanor. p. m. 185.  
 (28) Rom. XII. 19. (29) Psalm. XX. 6. (30) Hunc in nummis antiquis vocari *Propugnatorem*, *Patrem Propugnatorem*, *Conservatorem*, annotat IO. CHRISTOPH. OLEARIVS in Ep. de Nummo L. Sept. Severi, in quo Mars cum Scallis. p. m. 139. ap. CHRISTOPH. WOLTERECKIVM in Elec. Rei Nummar.  
 (31) Prov. XVIII. 10. Conf. Cl. CHRISTIAN. LVD. SCHLICHTERI Observationem de Nomine Domini, Turri munitissima, in Decim. Sacr. p. 165 sqq.  
 (32) Ita SEB. SCHMIDIVS transtulit. LVTHERVS: *festes Schloss*. LXX Interpretes: ἐκ μεροχλωσύνης ἰούδος. (33) Ante SCHMIDIVM iidem Interpretes Graeci: ὑψῆσαι. LVTHERVS vero: *wird beschirmet*. (34) De haec acclamatione leg. Cl. SIGEB. HAVERCAMPVS de Numm. Contorniat. p. 119. 125. 147. 155.  
 (35) Apoc. V. 5.



Davidis. Et alio loco (36): *Μιχαηλ καὶ οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ ἐπολέμησαν κατὰ τὸ δράκοντα, καὶ ὁ δράκων ἐπολέμησε, καὶ οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ. Καὶ ἐκ ἔχουσιν.* Michael & Angeli eius pugnarunt contra draconem, & draco pugnavit, & angeli eius. Sed non praevaluerunt. Praevaluit itaque Michael, vicit Archangelus, vicit divinus Bellator. Is de se ipso etiam dicit (37): *Εἶγὼ νενίκηκα τὸν κόσμον, Ego vici mundum* (38). Rectius itaque Victor omnium gentium nuncupatur, quam CONSTANTINVS in nummo argenteo hoc elogio fuit condecoratus (39). Victor enim est, non omnium modo gentium, sed geniorum quoque, inferni, mortis, a quibus cunctis victoriam reportavit. Victoriam olim sequebatur *Triumphus* (40). Et hoc gloriosissimus est divinus Bellator. Iste enim *ἀπεκδυσάμενος τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας, ἐδυνατώσεν ἐν παύρησι θραμβεύσας αὐτὸς ἐν αὐτῷ* (41), exuens principatus & potestates, ostentavit palam, triumphans de illis per seipsum. Hoc auspice vincunt quoque Fideles, quorum fides est victoria, quae mundum (42), imo etiam *πηγὴν* (43), malignum, devincit. Hi imitantur CONSTANTINVM, de quo EVSEBIVS ὁ εὐσεβείας, scribit (44), *ἠόρακεν πεφραγμένον, τὸ σῶπτερον καὶ ζωσιπὸν σημείον* (45), ὡσπερ ἡ Φόβηρον καὶ κακῶν ἀμυντήρον, τῷ πλήθει τῶν ἐναντιῶν ἀντιπαρτάξας, ὁμῶς τὴν κατ' ἐχθρῶν καὶ κατὰ δαίμονων νίκην ἀπηνέγκαστο. i. e. lorica pietatis indutus, cum salutare ac vivificum signum, tanquam terribilamentum & malorum propugnaculum, multitudini hostium opposuisset, ab hostibus pariter ac daemonibus victoriam reportavit. Atque sic a divino Bellatore divina instructi virtute, superiores discedunt. De HELIOGABALO narrat LAMPRIDIVS (46), quod *νοθεῖ in somniis viderit, alis se Romanae victoriae ad coelum vehi.* Somnia sunt somnia. At verum est, imo verissimum, quod Christiani alis victoriarum, qua malignum spiritum, mundum & carnem, hostes capitales, divino vincunt auxilio, ad coelum vehantur. Ibi fruuntur aeterna Pace, quam Dux ipsorum, ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης (47), Deus pacis, iisdem comparavit. Ex his iudicet, qui iudicandi pollet facultate, anne

Hebraei

(36) Apoc. I. XII. 7. 8.

(37) Io. XVI. 33. (38) Add. quae de Victoriis Messiae prolixè commentatus est FRID. ADOLPH. LAMPIDIVS Exercitatt. Sacr. in Psalm. XLV. exercitat. V. p. 155 sqq. (39) EZECH. SPANHEMIVS de Praefant. &amp; Vsu Numismat. p. m. 837. (40) Data opera hoc evincere laboravit MARTINVS de GVICHARDO in libro, qui inscribitur: Noctis Granzovianae de antiquis Triumphorum Spectaculis. Amstelod. 1661. 12. (41) Col. II. 15. (42) 1. Io. V. 4.

(43) 1. Io. II. 13. 14. (44) Orat. de Laudib. Constantin. p. m. 627 sq. (45) Σπυροῦν, Crucem. Vid. EVSEBIVS de Vit. Constantin. L. II. c. 16. p. m. 451. (46) Vit Alex. Severi p. 210. in Sylburg, Scriptor. Hist. Aug. Latin. T. II. (47) Rom. XV. 33.



Hebraei elegantissime, minime vero, quod durum est CLERICI effatum, dure, **IEHOVAM מלחמה**, *virum belli*, nominarint?

S. V.

Hae autem cogitationes licet bellicoso hoc tempore mihi subortae, neque tamen ego, neque orator meus, in cuius gratiam hac vice scripsi, de bellis, quae hodie geruntur, civilibus erimus solliciti. Quemadmodum enim meus qualiscunque labor in considerando bello divino & sacro versatus fuit, ita hic bellum literarium est meditatus. Qui igitur in castris Musarum adhuc feliciter, Minerva minime invita, militavit, & armis, quae probitas atque industria ministrant, horrendum illud Ignorantiae monstrum, informem illum & a literarum cultoribus pro capitali hoste habendum, inscitiae Polyphemum, haud exigua ex parte pro virili iam superavit ita, vt levissimae armaturae militum numero se exemerit, iuvenis ornatissimus, & reverendo admodum Parenti, qui bene praeparatum ante duos cum dimidio annos eundem porro formandum nobis commisit, ipse vero, quam egregie Lyceo olim Cellensi secundo loco praefuerit, vel hoc filio suo ostendit, merito gratulandus,

## IOANNES DANIEL OVERBECK,

Rhetena-Cellensis,

is, re bene apud nos gesta, ad sublimiorem belli adversus ignorantiam continuandi sedem tendens, Musis nostris solenni

de Bello a literarum studio adversus  
Ignorantiam gerendo

Oratione, proprio Marte & disposita & elaborata, vale dicet. Ad spectandum itaque conflictum Vos, **MAGNIFICI ET ILLVSTRES DNN. CONSVLES**, summe venerabilis **DN. PRAEPOSITE**, generosus **DN. DECANE**, summe rever. atque excellentiss. **DN. SVPERINTENDENS**, nobiliss. consultiss. & experientiss. **DNN. SYNDICE** ac **DOCTORES**, admodum rever. & praeclariss. **DNN. SENIOR**, **PASTORES** atque **SYMMYSTAE**, nobiliss. prudentiss. & ampliss. **DNN. SENATORES**, **PROTONOTARIE** ac **SECRETARII**, nec non omnes, qui bellum, quod adversus ignorantiam geritur, licitum, aequum & iustum reputatis; audeo vocare, sed literarium, sed humaniorem, ad bellum vere bellum, neque cum damno, sed summa potius utilitate coniunctum. Venite igitur, videte, & benevolentia Vestra, quam decenti ratione efflagito, declarate, quod faveatis bellatori literario vincenti.

P. P. Lubecae. d. XIII Octob. A. MDCCXXXIV.



4  
Fol 1291

ULB Halle

3


003 006 867



f  
50











Q. D. B. V. 57  
DE  
**DEO BELLATORE**  
AD  
EXOD. XV. 3.  
COMMENTATIO,  
QVAM  
ORATIONI PVBLICAE  
DE BELLO A LITERARVM  
STVDIOSO ADVERSVS IGNO-  
RANTIAM GERENDO

D. XIV. OCTOB. A. MDCCXXXIV. HLQC HAB.

PRAEMISIT

**IO. HENR. A SEELEN,**  
SS. TH. LIC. ET GYMN. LVB. RECT.

---

**LVBECAE.**

TYPIS IO. NIC. GREENII, MAGN. SEN. TYPOGR.